

solo viri raptore verba facit, ibi : « Quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, » et statim postea, « quod si raptor, etc. » Item : « Et nihilominus raptor. » Et merito, quia cum leges condi soleant de casibus natis occurrere, rarissime autem femina rapiat virum, recte de solis raptoribus statutum censetur impedimentum raptus. Accedit, quod simus in odiosis, et correctoriis antiqui juris; consequenter restringere potius quam ampliare debemus, arg. c. *Odia. de Reg. jur.* in 6, et c. 28, eod.

377. *Raptus ut sit, fieri debet in ordine ad contrahendum matrimonium.* — Dicitur III, in conclusione : « In ordine ad contrahendum matrimonium; » quia si non matrimonii, sed libidinis, vel alterius rei causa fiat violenta abductio feminae, impedimentum raptus non erit. Sanchez, loc. cit. n. 4; Bosco, loc. cit. a. n. 86; Sporer, loc. cit. n. 29; Perez, loc. cit. n. 3, et alii contra Sa, *7. Matrimonium*, et nonnullos alios. Ratio est, quia concilium Tridentinum, loc. cit. praecise intendit libertati matrimonii consulere, prout constat ex textu et rubrica sessionis quae est *de Reform. matrim.* ergo intelligendum venit de solo raptu causa matrimonii : factio : praesertim quia, quando textus est dubius, intelligi debet, ut conveniat rubricae : et valet argumentum a rubro ad nigrum, id est, a rubrica ad textum, prout amplius dictum in proemio § 6, a. n. 96. Et hinc plures doctores limitant c. 1, *de Clerico non ordin. minist.* quod non extendatur ad laicum exercentem ordinem, quia rubrica est de clerico. Accedit, quod simus in odiosis, et juris correctoriis, consequenter restringere magis, quam ampliare debemus, cit. c. *Odia*, et c. 28, *de Reg. jur.* in 6.

378. *Raptus impedimentum quando cesset.* — Resp. II. Impedimentum raptus inter raptorem et raptam viget, etiamsi rapta post raptum libere consentiat; « si adhuc est in potestate raptoris : secus, si ab eo separata, et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit. » Communis ac certa ob claram dispositionem concilii Tridentini, cit. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. vi.

379. *Raptus poena.* — De poenis raptus causa matrimonii facti, vide textum concilii Tridentini supra n. 372, adducti. De raptu prout est species luxuriae, graveque crimen, et de poenis ejus tam jure canonico, quam

civili statutis, exacte dicitur lib. V, tit. *de Raptor.*

380. *De dispensatione impedimentorum. Remissive.* — Quæritur IV. Quis, et quando in impedimentis matrimonii dispensare possit, ac soleat? Item quid in praxi observandum pro obtinenda dispensatione? Resp. ad quaesitum patebit infra in fine hujus lib. IV, ubi appendicem habet practicam de dispensatione super impedimentis matrimonii.

381. *De convalidatione, seu ratificatione matrimonii nulliter contracti. Remissive.* — Et quia saepe contingit, quod conjuges matrimonium ob impedimentum dirimens nulliter contrahentes sine scandalo, diffamatione aut alio gravi praedjudicio, vel periculo separari amplius nequeant, consequenter matrimonium nulliter contractum ratificare, et validare, seu de novo valide contrahere debeant, subjungetur ibidem instructio practica, quomodo obtenta dispensatione matrimonium nulliter contractum ratificare, seu revalidare possint ac debeant. Quam utramque materiam de dispensatione nempe, ac de revalidatione matrimonii ideo ad finem differre placuit, ut prius per decursum hujus lib. IV, integra materia de matrimonio, et impedimentis ejus explicata, dispensatio, et revalidatio pro quovis casu facilius capiatur. (ADNOTATIO LXX.)

TITULUS II.

De desponsatione impuberum.

1. *Ratio continuationis.* — Postquam tit. praeced. actum est de sponsalibus et matrimonio in genere, compilator juris canonici recto ordine pergit ad sponsalia, et matrimonium in specie, et quidem in praesenti titulo ad illa, quae impuberes inter sese, antequam puberibus contrahunt. Ubi praecipue agit de aetate requisita ad sponsalia et matrimonium. Et quoniam praesens titulus multa non continet, in paragraphos eum non dividimus.

2. *Puberes, et impuberes, qui?* — Notandum prius. Impuberes esse et dici illas personas, quae nondum attigerunt annos a jure ad pubertatem requisitos. Requiritur autem ad pubertatem in foemellis 12 anni completi, in masculis autem 14, l. fin. c. *Quando*

tutores esse desinant, ibi : « Jubemus, quemadmodum foeminae post impletos 12 annos omnimodo pubescere judicentur, ita et mares post excessum 14 annorum pubescere existimeantur. H. N. »

3. *Ad sponsalia requiritur et sufficit septennium.* — Quæritur I. Quae aetas requiratur tam ad sponsalia, quam ad matrimonium? Resp. I. Ad valorem sponsalium tam in foemina, quam masculo requiritur et sufficit septennium completum. Communis ac certa, arg. c. *Litteras*. 4, c. *Accessit*. 5, et c. *Ad dissolvendum*. 13, h. t. ubi clare habetur, sponsalia ante septennium completum esse nulla ex defectu consensus, nullumque exinde oriri impedimentum publicae honestatis; nisi septennio completo ea ratificent. Concordat l. *In sponsalibus*. 14, ff. *de Sponsalib.* et c. un. h. t. in 6, ibi : « Si infantes ad invicem, vel unus major septennio, et alter minor, sponsalia contraxerint ipsi, vel parentes pro eis, nisi per cohabitationem mutuam, seu alias verbo vel facto ipsorum liquido appareat, eosdem in eadem voluntate factos majores septennio perducare; sponsalia ejusmodi, quae ab initio nulla erant, per lapsum temporis, minime convalescunt, et ideo cum sint nulla, ratione defectus consensus, publicae honestatis justitiam non inducunt. » Ratio est, quia ad sponsalia requiritur et sufficit usus rationis, qui septennio completo ordinarie adest, et adesse praesumitur, arg. cit. l. *In sponsalib.* 14, ff. *de Sponsalib.* et l. *Si infanti*. § fin. c. *de Jure deliberandi*.

4. *Nisi malitia suppleat aetatem. Et quid hoc?* — Dicitur autem notanter in conclusione ordinarie; quia, si, uti extraordinarie contingere potest, malitia, seu potius prudentia, suppleat aetatem, indeque ante septennium jam quis veniat ad usum rationis, etiam tunc valebunt sponsalia: Sanchez, lib. I, disp. 16, n. 9; Covarruvias, p. I, *de Sponsal.* cap. II, n. 1; Joan. Andreas, in c. *Juvenis. de Sponsal.* n. 9; Sylvester. *7. Sponsalia*, q. 2, dicit. 2, cum communis aliorum contra Panormitanum, in cit. c. *Juvenis. de Sponsal.* n. 5; Castro Palao, tract. XXVIII, disp. un. punc. 6, n. 8, et alios arg. cit. c. *Juvenis*. 3, *de Sponsalib.* ubi habetur, ex sponsalibus a minore septennio contractis ortum esse impedimentum publicae honestatis; consequenter valida fuisse; cum hoc non nisi ex validis oriatur sponsalibus, tam de jure antiquo, arg. c. un. *de Sponsalibus.*

in 6, et ibi Barbosa, n. 4, quam novo concilio Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. III; si autem valida fuerunt, alia ratione id contingere non potuit, quam quia malitia supplebat aetatem; uti bene advertit Glossa, in cit. c. *Juvenis*. *7. Dubia*, ad finem. Nec obstant jura n. 3, citata, septennium generaliter requirentia. Nam contra est, quod jura ideo tantum requirunt septennium quia ante illud tempus ordinarie non censetur adesse usus rationis, consequenter deficere consensum necessario requisitum, arg. c. un. h. t. in 6, ibi : « Cum sint nulla ratione defectus consensus, » ergo si malitia supplet aetatem, et usus rationis, consequenter et consensus ante septennium adest, valebunt sponsalia : sicut ob malitiam, aetatem supplementem, valet matrimonium ante annos pubertatis contractum, textu expresso c. *De illis*. 9, h. t. licet alias jura ad matrimonium annos pubertatis indistincte ac generaliter requirant, juxta dicenda n. 6.

5. *Et si loco liberorum contrahant parentes.* — Resp. II. Sponsalia ante septennium unius, aut utriusque sunt invalida, etsi illa loco liberorum contraxerint parentes; nisi liberi facti septennio majores ea ratificent, textus expressus est in c. un. h. t. in 6, quem habes supra n. 3. Nec obstat c. 1, h. t. ubi quod finis, « postquam pervenerit ad perfectam aetatem debeat adimplere, » non tantum sponsalia, sed et matrimonium a patre loco illius, usum rationis nondum habentis contractum. Resp. enim cum Fagnano, ibid. n. 7, et communi canonistarum, hoc intelligendum esse, quod filius debeat ea adimplere ex debito honestatis, non vero necessitatis. (ADNOTATIO LXXI.)

6. *Ad valorem matrimonii requiritur pubertatis aetas.* — Resp. III. Ad valorem matrimonii tam de jure civili, quam canonico requiruntur et sufficiunt anni pubertatis, duodecim nempe in foeminis, et quatuordecim in masculis, nisi malitia suppleat aetatem. Rursus communis et certa, ob clara jura, prius. *Instit. de nupt.* et l. 4. ff. *de Actu nupt.* c. *Puberes*. III. c. *Attestationes*. x. et c. fin. h. t. Ratio est, quia cum matrimonii finis principalis sit prolis generatio, haec autem sine potentia generandi, et carnaliter coeundi haberi nequeat, potentia vero ista ante dictam aetatem adesse ordinarie non possit per jura citata, merito eadem jura impedimentum dirimens matrimonii statuerunt inter eos, qui praefata aetate non gaudent.

7. *Valet contractum ab habente illam, etsi nondum gaudeat potentia generandi.* — Si tamen per accidens contingeret, quod etiam post pubertatis annos quis nondum statim sit potens ad generandum, valebit matrimonium. Engel, h. t., n. 8, per jura citata. Et ratio est, quia impotentia coeundi post pubertatem adhuc existens, non causat nullitatem matrimonii, nisi sit perpetua, arg. c. *Fraternitati, de Frigid.*

8. *Fœminæ cur citius pubescant quam viri?* — Cæterum cur fœminæ citius pubescant, et potentiam coeundi ac generandi acquirant, quam masculi, rationem reddit philosophus; videlicet, quia fœminæ debiliores ac imperfectiores sunt, sicut enim artis, ita etiam naturæ opera, citius ad suam perfectionem citiusque ad finem ac interitum perveniunt; consequenter mulier propter debilitatem ac imperfectionem suam in pubertate, vigore, senectute, et obitu masculum prævenit.

9. *Imo valet contractum ab impubere, in quo malitia supplet ætatem. Plures impuberes genuerunt.* — Dicitur autem notanter, « nisi malitia suppleat ætatem, » id est, nisi jam ante pubertatis annos habilis quis veniat ad generandum, quia hanc limitationem expresse ponunt canones c. *Puberes*. III. h. t. ubi in ordine ad contrahendum matrimonium sufficientes pubes habetur, « qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, et generare jam potest; » etsi determinatos a jure annos necdum habeat; uti adhuc clarius deciditur c. *De illis* 9 eod. Et merito; quia multa exempla habemus, quod masculi in decimo ac undecimo, et fœmellæ in decimo proles procreaverint, de quo vide Barbosam in c. *Puberes*. III. h. t., n. 5, et Sanchez, lib. VII, disp. 104, n. 29.

10. *Ætas pubertatis solo jure humano ad matrimonium requiritur, unde in ea dispensare potest Papa.* — Porro ætas pubertatis n. 6. allegata, non jure naturali, neque divino, et solo humano a valore matrimonii requiritur; adeoque nec dirimens impedimentum ex defectu ætatis puberis proveniens, juris divini aut naturalis, sed puri humani ecclesiastici est, consequenter in eo Papa justa de causa dispensare, ac dispensando efficere potest, quod etiam impuberes, usu tamen rationis præditi, matrimonium valide contrahere queant, arg. c. h. t. et ibi doctores.

11. *Imo etiam episcopus ex urgentissima causa. Dispensatio in textu quando permittitur,*

et non determinatur, cui censetur concessa episcopo. — Imo docet ibidem Barbosa, n. 5, posse etiam episcopum ex urgentissima causa, præsertim publica, et pro bono communi pacis, v. g. dispensare, præcipue in casu, quo sunt prope annos puberes, et ad sit dubium, an non malitia suppleat ætatem. Idem docet Sanchez, lib. VII, disp. 104, n. 12. Bonacina, de *Matrim.* q. 1, punc. 4, n. 13, et alii, arg. cit. 2, h. t., ubi, quod dispensatio fieri possit, deciditur, et faciendi nulli reservatur, atque hoc ipso episcopis facite permittitur; quia universaliter quoadcunque in aliquo textu permittitur dispensatio, et non additur, cui, censetur concessa episcopo, ut cum communissima aliorum late probat Sanchez, de *Matrim.* lib. VIII, atque Barbosa, de *Offic. et potest. Episc.* alleg. 33, n. 17. De quo plura in appendice.

12. *Tempus ad valorem sponsalium et matrimonium requisitum debet esse completum de momento in momentum.* — Resp. IV. Tempus septennii sponsaliorum et pubertatis ad matrimonii valorem de jure requisitum debet mathematicè, et de momento in momentum esse completum, in casu, quo malitia non supplet ætatem. Pontius, lib. VII, de *Matrim.* cap. XLV, n. 1; Castro Palao, de *Sponsal.*, disp. 1, pun. 6, n. 6; Perez, de *Matrim.*, disp. 37, sect. 12, n. 4; Gonzalez, in c. II, *Accessit*. 5, h. t., n. 4; et alii contra Gutierrez, de *Matrim.* cap. II, n. 7; Sanchez, lib. I, disp. 16, n. 4, et lib. VII, disp. 104, n. 1 et 2. Probatur: quia fora expresse requirunt annum completum: et quidem ad sponsalia, c. *Litteras*, 4, h. t. ibi: « Antequam septimum annum compleverat: » et c. *Accessit*. eod. ibi: « Si puella septimum annum compleverat, » juncto c. *Ad dissolvendum*, eod. Ad matrimonium autem c. *Ex litteris*, h. t., ibi: « Donec compleat puer annum decimum quartum. »

13. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, hæc intelligi posse et debere in sensu morali, ita, ut saltem dies cœpta habeatur pro completa, prout vult Sanchez, arg. I. *Qua ætate*. 5. ff. de *Testam.*, ubi habetur, quod possint facere testamentum, et quantum ad hoc, dies cœpta habeatur pro completa. Resp. enim in casu, quo protractio temporis inducit et continet favorem; vel certa ætas præscribitur a jure pro forma, debere tempus præscriptum esse completum de momento in momentum, prout late probavimus lib. III, tit. XXXI, de *Regul.* a n. 950 et seq. ubi

propterea diximus, annos sexdecim ad professionem requisitos debere esse completos de momento in momentum; atqui in casu nostro præscribitur ætas a jure, inducitque protractio ejusdem favorem nubere volentibus, ut videlicet in tanto negotio libertate adhuc gaudere, considerate agere, et de damno non amplius reparabili satis præcavere valeant: ergo.

14. *Impubes sponsalia contrahens non potest ab illis resiliere ante pubertatem, bene vero post illam.* — Ad I. *Qua ætate* ff. de *Testament.* respondetur, negando paritatem; quia ibidem protractio temporis non esset favorabilis, sed odiosa testatori. Accedit, quod ibidem sit specialis dispositio juris, consequenter ad alios casus non extendenda.

Quæritur II. An, et quando impuberes sponsalia contrahentes, ab iisdem iterum resiliere valeant? Resp. Impuberes majores septennio non posse resiliere ante pubertatem, bene vero post illam: nec tenetur ille, qui primo fit pubes, alterum expectare, donec etiam pubescat, sed potest statim, ac pubescit pro libitu resiliere: quod, si pubes cum impubere contrahit sponsalia, tunc pubes haud amplius resiliere potest, bene vero impubes, non quidem ante pubertatem, sed post illam adeptam. Communis ac certa, claris juribus c. *De illis* 7, et c. *A nobis*. 8, h. t. juncta Glossa, ibid.

15. *Nisi sponsalia tempore impubertatis contracta, pubes ratificet et quomodo?* — Limitatur conclusio in casu, quo pubes factus sponsalia ratihabet, quod per solam taciturnitatem fieri censetur, ita, ut si quis pubertatem adeptus, non illico contradicit, et resilit, censeatur ea ratificare, Engel, h. t., n. 6. Ratio est, quia sponsalia ab impubere contracta, non tunc primum obligare incipiunt, quando contrahens evadit pubes (prius enim jam valebant, ita ut etiam impedimentum publicæ honestatis induxerint, c. v et vi, h.); sed tantum habent hoc juris beneficium, quod adepta pubertate dissolvi valeant. Hinc, si adeptus præfatam per contradictionem, aut dissensum ea non illico dissolvit pubes, eadem ratihabere censeatur, præsertim si sponsi nomen adhuc patitur, aut familiaritatem continuat, vel munera dat, vel recipit. Dicitur autem statim reclamare, qui intra triduum reclamatur, arg. I. fin. C. de *Error. advocat.* ubi habetur: « Illico dicitur fieri, quod intra triduum fit. »

16. *Sponsalia impuberum etiam juramento*

firmata solvi possunt post adeptam pubertatem. — Resp. II. Sponsalia ab impubere contracta dissolvi possunt a pubere facto, etsi ea juramento firmarit. Pontius, lib. XII, cap. IX, n. 8; Perez, disp. 9, sect. 2, n. 8; Joan. Andreas, in c. *Ex litteris*, x, de *Sponsal.*; Cardinal. in c. *De illis*, VII, h. t., n. 2, et alii contra Sanchez, lib. I, disp. 51, n. 22; Ancharanum, in c. *Ex litteris*, x, de *Sponsal.* et communiorum aliorum cum Glossa in cit. c. *De illis*, VII, h. t. §. *Judicio*. Fundamentum nostræ conclusionis est, quia juramentum sequitur naturam et conditiones actus, contractus, et obligationis, cui apponitur, I. fin. C. de *non numer. pecun.* nisi aliud specialiter expressum habeatur in jure: ergo quia sponsalia ab impubere contracta habent hanc naturam, quod a pubere facta possint dissolvi, ejusdem naturam non immutabit, sed sequetur juramentum adjectum.

17. *Solvitur instantia ex c. x. de Sponsal.* — Nec dicas cum Sanchez, et sequacibus, obstare hic specialem juris dispositionem, videlicet cit. c. *Ex litteris*, XI, h. t., ubi expresse habetur, quod, si impuberes sponsalia juramento confirmant, ea dissolvere non amplius queant. Resp. enim in cit. c. *Ex litteris*, esse sermonem de impuberibus proximi pubertati, et quidem talibus, in quibus malitia supplebat ætatem, quorum sponsalia æquiparantur sponsalibus puberum, cum inter tales impuberes ipsum etiam fieri possit matrimonium, c. *Ex litteris*, XI, h. t. quod autem de talibus impuberibus ibi fiat sermo, patet ex termino impubescentes, id est, pro puberes: constat etiam ex illo, quod Papa ibidem puellam statim in uxore recipi, et matrimonialiter pertractari præceperit, quod facere non potuisset, nisi sponsi pubertati dicto modo proximi fuissent. Vel dic, præfatos sponso ideo non potuisse amplius dissolvere sponsalia, quia pubertatem adepti non statim reclamarunt, sed tacite ratificarunt, juxta num. 15.

18. *Matrimonium ab impuberibus nulliter contractum valet in vim sponsalium.* — Quæritur III. An sponsalia de præsentibus, seu matrimonium ab impuberibus nulliter contractum transeat in vim sponsalium de futuro? Resp. Affirmative, communissima doctorum in c. fin., h. t. contra Engel, h. t., § 1, n. 10, et nonnullos alios. Probatur conclusio manifeste ex c. fin., h. t., et c. *un.* § Idem quoque, eod. in 6, ubi expresse habetur, quod hujusmodi matrimonium, « juris interpreta-

tione sint sponsalia de futuro. » Ratio ibidem subjungitur : « Quia per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non sicut agebatur publicæ honestatis justitia est inducta. » Concordat illud dictum summarii, et doctores in l. *Tam augusta*. 17. ff. *de Servitut.* « Si non valet, quod ago, ut ago, valeat, ut valere potest, » quod etiam habet Glossa in cit., c. un., h. t. in 6. §. *Matrimonium*.

Nec obstat l. *Quæsitum*. 9. ff. *de Sponsal.* ubi conclusio expresse negari videtur. Resp. enim, illam legem esse correctam a jure canonico, cui in materia matrimonii et sponsalium standum est, uti cum communi aliorum recte advertit Gonzalez in cit., c. fin., h. t. n. 4.

19. *Nisi contrahentes contra hæc expresse protestarentur.* — Illud tamen observandum, quando impuberes matrimonium contrahentes manifeste exprimerent, quod, si ex defectu ætatis non valeat hoc eorum matrimonium, nollent contrahere sponsalia de futuro, in hæc matrimonium non transiret; quia deficeret consensus, et procederet illud tritum : « Actus agentium non operantur ultra voluntatem eorum » l. *Non omnis*. 19. ff. *Si certum petatur*. Verum hæc exclusiva intentio, nisi probetur, non præsumitur, sed potius contrarium, per jura citata.

Porro num conclusio locum habeat etiam in casu, quo non tantum defectus ætatis, sed etiam præsentia parochi et testium intervenit, dicemus tit. sequenti.

TITULUS III.

De Clandestina Desponsatione.

1. Ratio ordinis. Absoluta una specie desponsationis, pergit compilerator canonum ad aliam speciem desponsationis, clandestinæ nempe. Ubi tamen notandum, quod, licet alias proprie loquendo desponsationis nomine sola intelligantur sponsalia de futuro arg. l. *Sufficit*. 4. ff. *de Sponsal.*, tamen ad præsens desponsatio sumatur pro sponsalibus de præsentia, seu pro ipso matrimonio, c. *Tua nos*. 26. *de Sponsal.* et can. *Conjux*. 9. cau. 27, q. 2

§ I.

DE DENUNTIATIONIBUS, ET MATRIMONIO CLANDESTINO OB EARUM OMISSIONEM.

2. *Matrimonia dupliciter possunt esse clandestina.* — Notandum prius, matrimonium duplici præcipue modo esse, et dici clandestinum. Primo, si contrahitur sine præscriptis ab ecclesia denuntiationibus c. fin. h. t.; secundo, si sine requisita præsentia parochi et testium, concil. Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1. Addit Glossa, in c. fin. h. t. §. *Clandestina*, etiam tertium modum, videlicet, quando contrahitur sine solemnitatibus præscriptis can. 1, cau. 30, q. 5, quæ hodie haud amplius sunt in usu. De primo agemus in præsentia; de posteriori autem in sequenti paragrapho. De tertio alibi.

3. *Denuntiationes quid?* — Quæritur itaque I. Quid sint, an, quando, quoties, et a quo fieri debeant denuntiationes matrimoniales? Resp. I. denuntiationes aliud non sunt, quam proclamationes, seu notificationes publicæ de matrimonio duorum inter se contrahendo, in ecclesia coram populo congregato faciendæ, ad hoc, ut si quis aliquod dirimens, aut impediens impedimentum inter contrahere volentes novit, in tempore adhuc manifestare queat. Ita in re communis ac certa arg. c. fin. h. t. et concil. Trident. sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1, patebitque adhuc magis ex sequentibus conclusionibus.

4. *Est obligatio, eas matrimonio præmittendi.* — Resp. II. Ordinarie loquendo, denuntiationes sub gravi peccato cuivis matrimonio præmitti, debent, ita, ut tam contrahentes, quam parochus assistens mortaliter peccent, si absque denuntiationibus matrimonium contrahatur, si dispensetur, Sanchez, lib. III, disp. 3, n. 3; Navarrus, in *Manual.* cap. xvi, n. 36; Herinx, in c. fin. h. t. n. 10; Layman, lib. V, tract. X, p. II, cap. iv, n. 9. cum communi, arg. c. h. t. ibi : « Statuimus, ut cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per ecclesiæ presbyteros publicè proponantur, competenti termino præfinito, ut intra illum, qui voluerit, vel valuerit, legitimum impedimentum opponat; Et ipsi presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. » Quam juris dispositio-

nem innovans concilium Tridentinum, sess. 24, *de Reform. matrim.* cap. 1, sequens strictè observandum dedit præceptum : « In hærendo sacri Lateranensis concilii sub Innocentio III celebrati vestigiis, præcipit, ut in posterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parochi tribus continuis diebus festivis inter Missarum solemnias publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum : quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponitur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie ecclesiæ procedatur. »

5. *Et quidem gravis.* — Quod autem hæc leges ecclesiasticæ graviter obligent, ratio est, tum quia sunt in materia gravi ad impedienda frequentia, eaque gravia mala positæ, prout liquet ex concilio Tridentino, loc. cit. ubi præfato præcepto permittit causam : « Cum S. synodus gravia peccata perpendat, quæ ex clandestinis conjugiiis ortum habent; » tum quia omittentibus denuntiationes graves pœnas, non nisi ob gravia delicta imponi solitas, infligunt, cit. c. fin. §. *Si quis*, et §. fin. h. t. et concilium Trident. loc. cit. Neque enim ob peccatum veniale tam graves statuuntur pœnæ, cum pœna debeat correspondere delicto, arg. c. *Felicis*. §. *Illud de Pœnis*. in 6.

6. *Debent fieri tribus diebus festivis continuis, inter missarum solemnias : et quomodo?* — Resp. III. Denuntiationes inter Missarum solemnias ter fieri debent, et quidem « tribus continuis diebus festivis. » Patet conclusio manifeste ex textu concilii Tridentini, n. 4, allegati, ubi per continuos dies festivos intelligit tales, ut nulla festiva dies, in qua denuntiatio aliqua ex tribus non fiat, intermediet : idque ideo, ne denuntiationes diutius differantur, et donec secunda aut tertia fiat, prioris obliviscatur populus, Sanchez, cit. disp. 6, n. 8; Barbosa, allegat. 32; Reginald. lib. XXXI, n. 225, qui tamen etiam cum aliis voluit, præfatos dies festivos non debere sibi immediate succedere, uti succedunt festa paschalia v. g. aut Pentecostalia, sed debere unum saltem, aut alterum diem non festivum inter eas mediare, ut populus sufficiens habeat opponendi, aut impedimenta detegendi tempus, qui est finis legis. Cæterum voluit citati doctores cum Gutierrez, *de Matrim.* cap. lvi, n. 4, non mortaliter, sed venialiter tantum peccare parochum, qui non continuis tribus diebus fes-

tivis, uno alterove etiam non immediate succedente festo neglecto, denuntiationes faceret, dummodo tandiu non differat, quod periculum oblivionis priorum in populo esset. Ratio est, quia alias videtur esse levitas materiæ.

7. *Possunt etiam fieri extra ecclesiam, et quando? Fini legis, et intentioni qui satisfacit, legi satisfacit.* — Porro, quamvis concilium Tridentinum velit, ut denuntiationes in ecclesia inter Missarum solemnias diebus festivis fiant, tamen etiam in die non festivo, non existentibus Missarum solemnias, et extra ecclesiam quoque fieri possunt, quando sufficiens adest populi concursus, ut contingere solet in concionibus, processionibus, litanis, Sanchez, lib. III, disp. 6, n. 9; Gutierrez, loc. cit. n. 7; Barbosa, loc. cit. n. 15 et 16; Layman, loc. cit. n. 9; Bosco, p. V, disp. 11, sect. 10, concl. 3. Ratio est, quia etiam tali modo satisfit intentioni, et fini legis, qui ideo tantum diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnias fieri præcipit denuntiationes, quia supponit, tunc fieri magnum populi concursum, adeoque certius ac facilius relevandum impedimentum, si quod subesset; qui finis æqualiter obtinetur, si die non festivo, et extra ecclesiam similis concursus fiat. Qui autem satisfacit fini et intentioni legis, satisfacit legi ipsi, arg. can. *Humanæ aures*, cau. 22, q. 5, ibi : « Non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem et intentionem : quia non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni. » et l. *Scire*. 16, ff. *de Legib.* ibi : « Scire leges, non hoc est, verba earum tenere, sed vim et potestatem. »

8. *Denuntiationes fieri debent in utraque parochia, si ex diversis sunt sponsi.* — Resp. IV. Denuntiationes debent fieri a proprio contrahentium parochi, vel substituto per eum; et quidem in utraque parochia, si sponsi ex duabus diversis parochiis sunt. Sanchez, lib. III, disp. 6, n. 4; Pirhing, h. t. n. 28; Bosco, loc. cit.; Palao, *de Sponsal.* disp. 2, punc. 13, § 3, n. 2, cum communi aliorum, arg. cit. concil. Trident. ubi præcipitur, ut denuntiationes fiant a proprio contrahentium parochi; ergo ab utroque parochi fieri debent, si uterque sponsorum proprium habet. Accedit declaratio cardinalium sacri concilii interpretum, quam allegat Sanchez, loc. cit. et Bosco ex Farinacio illis verbis : « Quando matrimonium contrahitur inter duos de diversis parochiis, de-